

*Conventio hominum Paciliani cum Alexandrinis  
Astensibus, & Vercellensibus.*

95

M C X C V I I I.

**A**nno Dominicæ Incarnationis MCXCVIII. ind. I. die Jovis II. aprilis in campis Paciliani. Talis est forma pacti, & conventionis facti, vel factæ inter homines de Paciliano nomine communis vel universitatis ejusdem loci ex una parte, & ex altera homines Alexandria, & Astæ, & Vercellarum pro communi universitatis uniuscujusque istarum civitatum, videlicet quod universi de Paciliano, tam Burgenses, quam Domini debent salvare, & juvare, & manutenerere, & custodire, & defendere omnes homines istarum civitatum universaliter, & singulariter, & res eorum in Paciliano, & ejus poderio, & jurisdictione, & ubique ad suum posse, & quod facient vivam guerram omnibus hominibus, & universaliter, & singulariter, & nominatim Marchionibus Montisferrati, & hominibus de Casali, eorumque complicibus, & auxiliariis, & exinde non facient treguam, pacem, pactum, collusionem aliquam, neque treguam, neque guerram recreutam, neque convenientiam, nisi consensu, & parabola potestatum, vel consulum pro tempore in istis civitatibus existentium, & credentiam, vel majoris partis, ita tamen quod consules, vel potestas alicuius civitatis, prædictarum civitatum non possit convenientiam, vel consensum, vel parabolam dare sine consensu, & voluntate duarum aliarum civitatum, & duæ non possint dare convenientiam, vel parabolam sine tertia, & dabunt munitiones, & castra universaliter, & singulariter unionis prædictarum civitatum, quocumque voluerint ad offensionem, & defensionem, & tuitionem, & guerram faciendam cuicumque voluerint excepto monasterio B. Ambroxii, cui exhibent debitam reverentiam, & salva fidelitate Vassallorum, Marchionum, qui ab eis tenent feudum ante guerram inceptam, id est ante guerram Gamundii; ita tamen quod nullo modo offenderent aliquem prædictarum civitatum communiter, & singulariter, nisi ad tuitionem Marchionum, & in terra eorum, & alibi ubique tenebunt prædictis civitatibus, sicuti cæteri hostes de Paciliano, & exercitum, & expeditiones, & custodias facient unicuique prædictarum civitatum. Hanc autem concordiam Ardicio Meglarius, Jolandus Curtesus, & Guido consules Paciliani juraverunt supra sancta Dei Evangelia, & omnes communis Paciliani, & promiserunt Alberto de Fontana potestati Astensi ad partem communis Astensis, & Jacobo de Brissio Vicario Domini Vermi de Pusterla potestatis Cæsareæ ad partem communis Cæsareæ, & consulibus Vercellensibus vice communis Vercellarum stipulantibus tenere firmum, & perpetuo attendere, & observare, & non remove ullo tempore de cætero, nec per se, nec per submissas personas, & quod facient jurare homines Paciliani eandem conventionem, & pactum tenere firmum, & perpetuo observare, & attendere, & quod dabunt opem, & fortiam, & virtutem, ut perpetuo, ut supra legitur attendatur salvo honore monasterii sancti Ambroxii de Mediolano. Infrascriptus Ober-

tus potestas Astensis, & Jacobus Vicarius Vermi de Pusterla potestas Cæsareæ, & consules Vercellarum, & consules Paciliani hanc cartam fieri præceperunt. Interfuerunt testes rogati Rolandus Bergognonus, Manfredus Cavazonus, Rolandus, Petrus Notarius Cæsareæ, Raimundus Iudex, Petrus Cane-frus Alexandria, & multi alii. Petrus de S. Georgio.

*Juramentum societatis ad an. 30. præstitum a  
Rectoribus Lombardia.*

M C X C V I I I.

96

**A**nno Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi MCXCVIII., indictione I., die lunæ IV. aprilis. In Palacio Episcopi Vercellensis, & in Verona in præsentia Domini Corradini Ylasiensis Judicis de Verona, Domini Antonini, Domini Agrii, Domini Fulernis, Rami de Placentia, Domini Desiderii, Domini Joannis de Guxao de Brixia, Fanellæ de Rivalta de Mantua, de Petri Judicis, Odemarii de Novaria, D. Guidonis de Ricavallo Potestatis Novariæ, Alemanni, M. Barnabæ de Regio, Morani de Villa, D. Panterii, D. Uberti de Mandello de Mediolano, D. Bartholomæi de Vercellis, & aliorum. Ibi Dominus Martinus de Turri Rector Mediolani, D. Enricus Confalonarius Rector Brixia, D. Bonaventura Iudex Rector Mantuæ, D. Jacobus Rector Vercellarum, D. Gandulfus de Castello novo Rector Veronæ, D. Philippus de Sessi Rector Novariæ, & D. Madius Carnifii juraverunt &c.

*Conventio inter Astenses, & Alexandrinos de  
acquisitione Castagnolarum.*

M C X C V I I I.

97

**A**nno Dominicæ Incarnationis MCXCVIII., ind. I. die Jovis XV. exeuntis mensis aprilis, in villa de Castagnolis, juxta Ecclesiam sub territorio Potestatis de Ast. D. Albertus de Fontana Potestas Astensis voluntate, & consensu consilii de Ast promisit D. Jacobo de Brixio Vicario, Domini Vermi de Pusterla Potestatis Alexandria nomine ejusdem civitatis, &c. Facta communione Castri de Castagnolis, & rerum in eo captarum, quod non faciet aliquod pactum, vel concordiam cum Marchione Lanza sine consilio, & voluntate hominum consilii de Alexandria, vel majoris partis, salvo jure Ast in medietatem Comitatus Laureti, si quod jus habet in eo, & communiter debent istum Castrum, & res captas habere, & ipsum marchionem Lanzam tenere in carcere in civitate de Ast nomine communis de Ast, & de Alexandria, & totum proficuum, quod de captione istius Castri, & rerum in eo captarum processerit, debet esse communis Alexandria, & Ast, & homines Alexandria debent tenere milites ipsius Lanzæ, qui capti fuerunt in ipso Castro in carcere nomine communis, & Ast, & proficuum, quod inde processerit debet esse commune. Infrascriptus D. Albertus, & consilii de Ast, & Dominus Villelmus &c. hanc cartam fieri rogavere.

Conventio